



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

156. An possit prorogare executoribus tempus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

l. cit. num. 13. ita ut in criminibus levibus vel extraordinariis, in quibus imponitur poena Judicis arbitrio, Vicarius quoque Episcopi facere possit compositiones juxta facti qualitatem; secus in criminibus gravibus, uti & in illis, in quibus taxata est poena à jure, & in quibus agitur de poena depositionis ab ordine, vel privationis beneficii. Citat pro hac limitatione Castrenf. Bertach. *ubi anec. Cuch. tit. de Vicar. Episc. num. 109.* Diaz. &c. Quam tamen limitationem etiam sublimitat *num. 16. & 17.* ita ut fieri possit hæc dispensatio seu commutatio poenæ ab Episcopo ejusve Vicario ante latam sententiam, non autem post, pro quo citat Cuchum. *Instit. jur. can. de Episc. num. 306.* Felin. *in c. qualiter. de accusat. num. 129.* Nisi forte in sententia fuerit reservatum jus mutandæ poenæ, aut concessa restitutio, adversus sententiam; aut aliqua justa causa impellat, ut Cuch. *l. cit. n. 308.*

PARAGRAPHUS VII.

De potestate Vicarii circa ultimas voluntates.

Questio 154. An Vicarius possit pias defunctorum voluntates demandare executioni?

Respondeo: sine speciali mandato Episcopi (qui constitutus quoque est executor piarum voluntatum. *l. si quis ad declinandam. §. ubi autem. c. de Episc. & Cleric. & ut latè Menoch. ad 4. remed. ad ipsi-scenda. num. 256. & Cuch. l. cit. de Episc. num. 142. & seq. apud Sbroz. l. 2. q. 49. num. 1.*) id non posse Vicarium, Barbof. *de potest. Episc. p. 3. allegat. 54. n. 104.* Pax Jord. *l. 12. tit. 1. num. 208.* Sbroz. *l. c. n. 2.* citato Bald. *in l. nulli. c. de probat. num. 8.* poterit tamen id ipsum ex speciali Episcopi mandato. Sbroz. *ibid.* Licet enim executor testamentarius facere nequeat subexecutorem, tanquam electa sit fides ejus & industria suæ personæ, ut probat *cit. l. nulli. & ibi Bald. num. 4.* in legatis tamen ad pias causas potest hujusmodi officium delegari. Sbroz. *l. cit. num. 3. & 4.* citans Bald. *in c. cum causis. de Cleric.* Tiraq. *de privilegiis pia causa. privileg. 31. in fine;* eò quod favore piarum causarum relaxentur juris subtilitates. Ad hoc verò, ut Episcopus in hujusmodi executionibus vices suas committere possit alteri, requiritur causa aliqua. Sbroz. *n. 6.* ex Bald. *in cit. l. nulli. num. 8.* Quin & limitationem aliam adjicit Sbroz. *num. 7.* ut Vicarius Episcopi habens speciale mandatum exequendi dictas voluntates, non censeatur adhuc habere mandatum ad liquidandum fructus.

Questio 155. An Vicarius ex officio suo compellere possit executores, fidei commissarios, etiam laicos ad exequendas pias defunctorum voluntates?

Respondet affirmativè Barbof. *l. cit. num. 105.* Sbroz. *l. 2. q. 50.* citans *c. Joannes. c. si heres. c. tua nos. de testamentis.* Pavin. *de potest. Cap. Sed. vac. p. 1. q. 8. num. 7.* Gemin. *consil. 114. n. 5.*

Questio 156. An possit quoque prorogare tempus executoribus?

Respondeo affirmativè. Barbof. *cit. num. 105.* Sbroz. *l. 2. q. 51. num. 1.* Idque etiam si sint Juris vel constitutionis Synodalis. Sbroz. *l. cit. citatis*

Calder. *cons. 5. tit. de Vicar. Felin. in c. ex parte. de consil. col. 3. post num. 1.* Ratio tamen quam adjicit Sbroz. nempe, quod id sit jurisdictionis voluntariæ, quæ transit in Vicarium, non magnopere urget; cum plura sint jurisdictionis voluntariæ, quæ non transeunt in Vicarium.

Questio 157. An Vicarius possit exigere rationes à testamentorum executoribus?

Respondet Sbroz. *l. 2. q. 52.* posse Vicarium tanquam Ordinarium rationem exigere ab executoribus de testamentorum executionibus, etiam Religiosis exemptis, & delinquentes circa illas punire juxta *Clem. l. de testam. & ibi Glof. & Canonist.* quem textum etiam allegat Pavin. *p. 1. q. 8. num. 5. & p. 2. q. 7. num. 6.* pro Capitulo Sede vacante ejusque Vicario.

Questio 158. Quid possit Vicarius circa mutationem ultimarum voluntatum?

Respondeo: posse Vicarium Episcopi in erectione Ecclesiæ & applicatione bonorum eidem relictorum in aliquo mutare voluntatem testatoris, decisum fuisse à Rota teste Mohed. *decis. manuscrip. 124.* refert Sbroz. *l. 2. q. 54.* Barbof. *l. cit.* quò ad hoc punctum remittit ad Moner. *de commut. ultim. volunt. c. 5. num. 484.* verum videndum, quid hac in parte, & quo jure comperat Episcopis ipsis, & de in applicandum vel negandum ejus Vicario.

Questio 159. An Vicarius Episcopi adire possit hereditatem lucrosam delatam Ecclesiæ Cathedrali?

Respondeo: affirmari id absolutè à Pavin. *l. cit. p. 2. q. 8. num. 27.* Sbroz. verò *l. 2. q. 53.* id verum existimat, ubi adest speciale mandatum. Rationem dat, quòd Vicarius Episcopi economum Ecclesiæ constituere nequeat, nisi adsit speciale mandatum. Pro quo citat Felin. *in c. quoniam. de offic. ordin. in fin. Lap. allegat. 8. ubi Apostil. Mandos. in verb. economum.*

PARAGRAPHUS VIII.

De potestate Vicarii circa matrimonialia.

Questio 160. An Vicarius Episcopi possit cognoscere causas matrimoniales?

1. Respondeo primò: causas matrimoniales ex speciali commissione Episcopi posse cognoscere à Vicario. Sbroz. *l. 2. q. 42. a num. 5.* Pich. *ad tit. de offic. Vicar. num. 47.* citans Sanch. *de matrim. l. 2. d. 40. num. 17. in fine.* Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num. 155.* Tametsi enim cognitio hujusmodi causarum spectet ad Episcopalem dignitatem, ut rectè Sbroz. *l. cit. num. 6.* non tamen ideo incommisibilibus est alteri non Episcopo; cum etiam ea, quæ dignitatis Episcopalis sunt, inferiori Episcopo committi possunt. Sbroz. *l. 2. q. 28.* citans Abb. *in c. quanto de consuetud. num. 2. in c. accidentibus. de excess. Prelator. num. 2. & 3. Syl. in sum. v. Episcopus. num. 9. &c.* Tametsi etiam causis criminalibus æquiparentur, sintque inter causas majores & arduas, quippe in quibus agitur de statu hominis juxta *c. penult. de in in-*